

aliis tribus SS. scilicet Dionysio, Hilario, & Felice, bonum certamen certantes cursum gloriosum. Martyrio consummarunt. Hilario successit Grifogomas Patriarcha, qui completis annis X. suæ ordinationis, mirificè protexit, & rexit Ecclesiam suam postea in pace vitam in Domino consummavit. Grifogomæ successit Theodorus Patriarcha, qui plenus bonis operibus IX. annos ordinationis suæ mirificus pugnator pro Fidei Catholicæ nomine in pace migravit ad Christum. Grifogonus Patriarcha fedit annos XII. Agapetus Patriarcha fedit annos XV. Valerianus Patriarcha fedit annos XVIII. Benedictus Patriarcha fedit annos XXV. Hi omnes quatuor, licet sub magnis Infidelium persecutionibus, Fidelium tamen auxerunt Ecclesiam eorum sacris precibus, prædicationibus, moribus, & exemplis. Post hos supra scriptos successit B. Cromatius Patriarcha Doctor mirificus, contemporaneus egregii, & primi Doctoris B. Hieronymi, quem Cromatium idem Hieronymus natus in Oppido Stridonis in Dominio Ecclesiæ Aquilejensis sito, inter viros illustres commemorat. Et in quadam Epistola scripsit. *Domino suo Cromatio Beatissimo Episcopo Aquilejensi*. Doctor eximius qui librum de Historia Scholastica composuit, & multos alios de Græco in Latinum, & Hebraico transtulit. Fuit hujus tempore Rufinus Presbyter Aquilejensis, qui & multas epistolas direxit Hieronymo, & Hieronymus ipsi. Sedit autem annos XVIII. & plenus bonis moribus in Christo quievit. Cromatio defuncto successit Augustinus Patriarcha, qui post anno XVIII. ab ordinatione sua, aucto populo Dei, in pace æterna quiescit. Adelphus Patriarcha, fedit annos IX. Maximianus Patriarcha fedit annos XX. Januarius Patriarcha fedit annos VIII. Secundus Patriarcha fedit annos III. De istis quatuor nihil reperitur propter Schisma, & persecutionem Infidelium. Niceta Patriarcha fedit annos XXXII. cujus tempore regnante secundo Theodosio Augusto circa annos Domini CDXXV. Attila flagellum Dei, cupiens sibi Romanum Imperium subjugare, & debellatus à Romanis, quibus adhærebant ferè omnes populi Occidentales, ubi occisa sunt, CLXXX. millia hominum, reversus in Pannoniam, & reasumptis viribus, iterum intravit Italiam. Et primo veniens in Forum-Julii, destruxit omnes munitiones, & fortificia ejus, & postea Castrum Forojulienfe, quod nunc Civitas Austriæ appellatur. Et obsedit Urbem Aquilejam tribus annis, & Collem, ubi nunc est Castrum Utino pro sui tuitione manualiter fieri fecit. Tandem peccatis exigentibus, post trium annorum obsedionem, infra quod tempus multa millia hominum Aquilejæ occisa sunt, Aquilejam cepit, & destruxit, dictum Nicetam Patriarcham inhumaniter jugulando. Deinde ad partes alias Italiæ progrediens, Civitatem Concordiam, Altinum prope Tervisium, Opitergium, Patavium, & alias multas delevit Civitates. Attamen precibus B. Leonis Papæ primi, idem Attila judicio Dei extinctus est. Post Attilæ necem fedit in Aquilejensi sede Marcellianus Patriarcha annos XXVIII. Hujus tempore Zenon-Romanus fastigium gubernabit. Odoacer Ruthonorum Dux, occiso quodam Augustulo qui Romanum Imperium invadere præsumerat, Romam ingreditur, & totius Italiæ per XIII. annos obtinuit Principatum. Quem Theodoricus Rex Gothorum ad Italiam properans, cui dictus Odoacer occurrit cum innumerabili Exercitu, juxta Aquilejam, & in Campis Uberinis debellavit.

A Post Marcellinum in Sede instituitur Patriarchali, quam rexit annos XV. & VI. menses. Et non modico tempore Anastasi Augusti reformavit Ecclesiam suam, videlicet Urbem Aquilejensem, quam propter invasionem, & destructionem, Attilæ invenit plurimum deformatam, & quasi totaliter destructam, & ibi quasi nemine permanente.

Post Marcellinum fedit Stephanus Patriarcha in Aquilejensi sede annos XV. Hic sub Justino Christianissimo Imperatore, & Theodorico regnante in Italia, qui erat Ariana infectus Hæresi, & Arianos protegebat, multa pro Fide Catholica perpeffus est. Sed, Christo protegente, non solum Ecclesiam, verum etiam totam Provinciam à peste liberavit, & mirificè rexit Ecclesiam suam.

B Maxentius Patriarcha fedit annos IV. menses V.

Macedonius Patriarcha vir clarus & pius successit Stephano, qui Justiniani Augusti assumptus temporibus, vitam ducens laudabilem, & Provinciam Italiæ peragrans, fratres mirabiliter in Christo confortabat, & alebat, tandem post annos XXVI. ab ordinatione sua felici cum pace in Domino requievit.

C Huic successit Paulus gloriosus Antistes tempore Justiniani Imperatoris. Ejus tempore Longobardi, Narsetis Patricii ductu, Italiam intraverunt, quorum Historiam Paulus Historiographus, qui fuit natione Civitatenfis diligentius scribit. Et dicti Longobardi primo Forum-Julii intrantes, Civitatem Austriam, quæ tunc Castrum Forlivienfe dicebatur, depopulati sunt, & totaliter destruxerunt. Qualiter *antem*, & quomodo, & quid de Ducibus, & filiis, & filiabus accidit, & in cujus ductu Longobardi Italiam intraverunt, ipsa declarat Historia. Hic Paulus Patriarcha timore dictorum Longobardorum ductus, cum Thesuro, & reliquis Ecclesiæ ad Gradenfem Insulam se contulit, quam novam Aquilejam appellavit, & ibi XII. sui Pontificatus annum finivit in Domino in prædicta sua Civitate nova.

D Probius Patriarcha Paulo successit, qui anno uno apud Gradum vitam finivit. De ipso nihil invenitur, nec dicitur, quia parum vixit, & ibi quiescit.

E Helias Patriarcha fedit annos XXII. Hic quia tria Capitula Chalcedonenfis Concilii suscipere noluit, tamquam Hæreticus reprobatus est. Sed Pelagius Papa Secundus eidem misit Epistolam satis utilem, quam B. Gregorius, dum adhuc esset Cardinalis, scripsit. Tunc Helias Patriarcha ab errore revocatus, de prædicti Papæ Pelagii consensu, XX. Episcoporum Synodum convocavit, & Gradenfem Insulam, quæ, ut prædicitur, nova Aquileja vocata fuit, totius Venetiæ etiam Metropolim constituit. Ad quem Heraclius Augustus, devotione ductus, B. Marci Sedem, quam dudum Helena Mater Constantini tulerat de Alexandria, Aquilejam direxit, & ibi hæcenus veneratur apud B. Hermagoræ sedem, ubi primo prædicaverat Verbum Christi. Venetiæ quippe duæ sunt: Prima est illa, quæ antiquis Historiis continetur, quæ à Pannoniæ termino usque ad flumen Danubii extenditur, cujus Aquileja, olim Civitas Maxima, Caput est. Secunda est Venetia, quæ apud Insulas Maris Hadriatici ex collectione populorum propter rabiem Attilæ, deinde Longobardorum, infra aquas, & paludes Maris fundata est.

Severus Patriarcha successit Helias apud Aquilejam novam, & annos XV. menses VI. fedit, quem